Supplicatio S. R. M. Polon. a Venerabilis Capituli Varmien. Nuntijs oblata

Duo sunt Serenissime Rex quibus Venerabile Capitulum Varmien. indirecte atque promotum ad S. T. nos allegarunt, Unum luctuosa Eccae suae orbitas et sollicitudo ex qua tam ad reliquos Praelatos et Canonicos, quam nos devotos S. T. sacellanos ingens dolor, et extrema anxietate formido pridem redundat, subijcientes ne quod Deus avertat, Eccā ea sine pastore tanquam navis sine nauclero in alto fluitans, aut in manus Pyratarum, ut sic tempora dant, fors incidat, aut scopulis quibusdam illisa misere tandem fatiscat, ac omnino dissolvatur. Alterum est singularis in Regio S. T. pectore lucens sapientia et dignitas, ex quibus veritas et iudicium tanquam rivulus ex fonte ad omnes Reipub. partes non sine magna omnium consolatione promanat. Orbitas inquam Eccae Varmien. et S. T. sapientia ac iustitia nos huc compulit venire, ac benigna quidem audientia freti, de orbitate agemus primo eamque paucis exponemus, deinde ad sapientiam venientes ostensis Eccae Privilegijs, verum et rectum iudicium ab eadem ac dignitate pro subsidio et consolatione nostra et humiliter expectabimus et suppliciter rogabimus. Atque ut ex sacra Cyrene Poete facile est omnibus Apollinem laudare, cuius laudis argumenta nemini sunt ignota, ita nobis difficile non videtur, orbitatem Eccae cum luctu et squallore omnium nostrorum coniunctam explicare et oportunam consolationem impetrare apud summam eius Regis sapientiam, qui eiusdem Eccae Antistitem ob singularem virtutem et in rebus agendis dexteritatem sibi charum adhuc detinuit, et iam ad alium Episcopatum promovit, Quique pater prius et omnium Ecclesiarum iuriumque earumque patronus verus est, et recte nominatur. Eccā igitur Varmien. quae et pietate in Deum et observantia in Regem et fide in patriam nulli unquam cessit alienissimo Rei Reip. tempore, optimo et desideratissimo Antistite ac parente est orbata Illmo nimirum et Rmo D. Petro Tilicio qui ab ea certis de causis consentiente S. T. approbante Papa, gratulantibus amicis ad Episcopatum Cuiavien. ut quibusdam placet dicere, veluti gemma e tenebris ad lucem et (ut nos rectius sentimus) ut sol e caelo ut luna ab astris, translatus ut digniorem et ampliorem, quis pro meritis possideat Dignitatem, ita quidem ut translatio haec si sortem nostram Eccaeque ipsius respiciamus, luctu et lamentationibus, sin ipsum eiusque nobilem familiam cultu et gratulatione sit prosequenda, licet enim varij quam boni omnes ostenderunt apud Eccam sibi veluti sponsam a Christo commendatam solvit esse maximis gravissimisque Reip. negotijs

detentus fuit nihilominus Feliq(ue) eam Deo dante rexit nihil neq(ue) intentatum
neq(ue) minus quam oportebat curatum relinquens, quod ad Dei gloriam ad priva-
tam cuiusq(ue) salutem ad publicum omnium bonum pertineret, cuius rei Illris imprimis
argumentum est. Visitatio Eccliae cum optima non paucorum capitum ad divini
cultum pertinentium reformatione, et ingenti idgenus aliarum rerum fructu, au-
spicati instituta ac perfecta. Illud vero immortali etiam, et omnium Episcopatus
Sagnilonorum praedicatione celebrandum est beneficium quo universos et singulos
affecit, dum qui suas vices quoad fieri posset obiret, reliquit Administrato-
rem Virum praedoctum et vere Apostolicum Joannem Pissinski, qui pro sua
pietate sancta, pro prudentia summa, pro sollicitudine graviter hanc provinciam
sustinuit. Quae virtutum officia ac bona licet D. Pissinski sint propria
fructuum tamen eorundem magnam partem Illmus et Rmus D. Tilicki
sibi iure vendicat, utpote cuius voluntate atq(ue) autoritate haec ab eo provin-
cia sit suscepta ac gesta. Quod quidem etiam cum laudamus tuam S. R.
sapientiam et beneficentiam praedicamus. Magna enim eorum eximia quae,
o Rex tua laus est. Eorum quidem quod tam praeclare rem gesserint, tua
vero quod non alius quam S. T. voluntate et gratia ac benevolentia in
hanc Ecclesiarum de corpore V. Capituli viri et secundum priscas Eccliae leges
ac privilegia in amplissimo illo ordine ad praeclarum hoc munus sint
adiecti ac electi. Singularis tua est in qua S. Rex sapientia, et gratia
immortali memoria celebranda, quam et Deus opt. max. uti speramus
et vere rogamus etiam magna felicitate compensabit atq(ue) cumulabit
Sed quo maior haec virtus, quo maior laus quo maius beneficium fuit
dum ipso fruebamur eo gravior nobis accidit primus Eccliae orbitas ac
sollitudo, eoq(ue) omnium nostrum luctus ~~aut~~ ac squallor evasit maior, dum illis
nos privatos videmus pariter et dolemus. Fuit igitur Episcopus Varmiensis Illmus
et Rmus D. Petrus Tilicki atq(ue) utinam diutius eum retinere licuisset
praefuit Ecclesiae Christi. Utinam ~~nunc~~ etiam nunc praeesset, sed cum is propter eximias
virtutes sit veluti praeclarum quoddam sidus in excelsiori et illustriori di-
gnitatis loco Deo ac S. T. ita disponentibus merito collocatus, nos
interim cum Ecclia Varmiensi pro dolor sicuti corpus sine capite, aedifici-
um sine fundamento, astra sine sole derelicti sumus, relinqui etiam ut grex
sine pastore et exercitus sine duce periclitatur. Timendum hic profecto est ne
corpus aegre se sustentet, ne aedificium ruat, ne sidera obscurentur, ne grex dissi-
petur, ne exercitus Christi cladem accipiat, nisi et brevi et more veteri, et
tempestive pro rei exigentia fuerit de novo praesule, pastore, duce, eidem Eccliae
in has sua viduitate ac nobis provisum. Et haec de orbitate breviter
attigisse sufficiat. Nunc de finibus Eccliae, et gratiosa quam speramus,
ac petimus consolatione brevius est dicendum. Et hic quidem imprimis non est
dubium S. R. quin totius Reipub. intersit, Omnis qualiscunque sit Episcopus:
sed tamen id magis quodammodo pertinet ad eos homines qui licet in ijs, quae

ad commune totius Reip. pertinent commodum Regni impensio parant
inibi tn̄ apud Epis et Magistrum Theorico gubernant. Ex quibus Epātus
Varmien̄ ipse primus, qui a Pontifice max. confirmatus singulari
quadam autoritate et libertate cum in alijs tum praecipue in Electione
Praesulis donatus ac decoratus, Et licet amplissimo Polon. Regno
sua ipsius voluntate sit incorporatus, tn̄ immunitatibus et legibus suis
quibus nihil antiquius habet gaudet; Illis quidem (quod temporum hoc iniquum
fuit iniuria) nonnihil accisis, bona tamen parte salvis et integris
permanentibus, Constat proinde cuiusmodi sit Epūs Varmien̄ Prutenorum
magis quam aliorum et maxime Universalis Capli interesse, quod
a dn̄o Deo et Rege constitutum est, totius Epātus Magistratus, oculus,
tutor, conservator, haeres; quod pro omnibus quae tranquillitatem et salutem
illius Eccl̄ae promovebant et conservant, in illud vel maxime summam dili:
gentiam incumbere debet, ut Praesule a gubernaculo vel superiorum auto:
ritate avocato, vel ad alium Epātum translato novus Epūs ibidem pro auto:
ritate, libertate et consuetudine veteri, communi suffragio Universalis
Capli eligatur, ne quispiam alius electus ab Eccl̄a et Capli legibus
ut velus ab aio, animus a corpore, sol a coelo, a nautis nauclerus
discerpet, et pro vita mortem, pro luce tenebras, pro tranquillitate tur:
binem, ac denique pro salute ruinam et interitum adferat deplorandum.
Hoc loco non possumus nec debemus S. R. taciti praeterire pientissimum
Principem Casimirum M. T. quondam antecessorem, et Rm̄ P. ac D. Nico
laum Varmien̄ Epm̄ inter quos amplissimi Senatus Polonici, et Uni:
versalis Capli Varmien̄ consilio ac communi oium consensu bene et san:
cte consultatum et statutum, Quis et quomodo ad clavum Eccl̄ae tractan
dum sit admovendus, nimirum verus terrarum Prussiae indigena, ipsis
Unus ex Canonicis, per libera Universalis Capli vota electus, Hunc acce:
dunt Sermus Princeps Sigismundus Rex itidem Polon. et Rmus P. Dnus
Fabianus Epūs Varmien̄ qui sane hanc normam et vim suffragiorum
Venerabilis Capli eligendi divini Spūs afflatu renovarunt ac magis ma:
gisque lr̄is consignatam confirmarunt, Nihil hic fingimus S. R. nihilque
vel augendi vel amplificandi causa loquimur, sed eam tantum optima fide com:
memoramus veritatem, quam si opus sit certissimis monimentis instrumentorum
nulliusque laboris comprobare. Quas aut causas habuerint hi divini
Regis et antistitis, prudentissimi tam politici quam Theorici Reip. et Eccl̄ae
Senatores cur summum hunc honorem ad indigenam terrarum Prussiae potius
quam ad externum, ad S. Eccl̄ae Varmien̄ membrum quam ad hominem sepa:
ratum ad gratum etiam et acceptum oibus personam quam ad invisam,
idque concordibus Canonicorum suffragijs deferri voluerint, neque ut paucis
dicamus, Cum ita a natura comparatum sit S. R. ut eos quisque floren:
tissimos et ornatissimos esse cupiat, qui publici et communis commodi cau:
sa multum laborarunt, plurimis sese et maximis periculis obiecerunt, ut:
esse erat S. Regibus amplissimoque Senatui Polon. cum Prussiam Universam
tum Epātum Varmien̄ insigniter charum esse, cuique maiores pro ipsis Regibus

et Reipub. Universae tot labores tot discrimina adierunt, toties de vita fortu:
nisq omnibus dimicarunt, quae singula si prosequi vellemus, non dies nos modo sed
vires ipsae deficerent, sed ut omittamus ea, quae minus antiqua videri possunt,
Sixto iam 360 annos numeramus cum Episcopatus Varmien. ab Innocentio eius nominis
4 Pontif. max. est conditus et maxima autoritate donatus, Et 150 anni
effluxerunt cum Prussia ut sua et Regni res faceret meliorem excusso cru:
cigerorum iugo ad Poloniam libera voluntate accessit) illud certe praeter:
mitti non potest, quod cum Vari Teutonicorum in Prussia Regni, inter quos etiam Al:
bertus Brandeburgicus 24 et ultimus annumeratus, implacabili in Episcopos
Varmien. et reliquas Prussiae partes, imo in Regem et Universum Regnum Polon.
odio flagrantes non semel proditiones Regias machinarentur, hostium more
debacharentur, vastarunt agros, Episcopatum et oppida diriperent, depopularentur
incenderent nulli parcerent, caede ac sanguine complerent omnia, ut quos precio
precibus minis a Regis fide et Regni societate avocare non poterant, vi occu:
patos armisq oppressos tenerent, quid boni Domini Episcopi Varmien. cum sacro
Collegio, quid praecipue familiae, quid Nobiles, quid Civitates quid omnes et
singuli Prutheni non praestiterunt, et perpessi sunt. qui se suaque omnia excelso
et prompto animo indiscrimen adduci et mortem ipsam oppetere quam fidem datam
et iusiurandum convellere, vel a Polonia recedere elegerunt, Memorabile
prorsus fidelitatis exemplum posteris relinquentes. Eadem nobis quid ille
praestitisse videtur, qui dum Dominus scloppeto peteretur, flammam conspicatus
medium se illico opposuit, et letalem ictum proprio corpore excipiens
Domini vitam morte sua redemit, Quae omnia aliaque eiusmodi quam plurima non
Pruthenorum tantum canantibus, sed optimorum quorumque illorum temporum scriptorum
monumentis prodita et testata reperiuntur. His ergo imprimis Pruthenorum
virtutibus effectum est, ut illis solis Ecclesiae Varmien. gubernacula concessa
sint, et deferantur. Praeterea non fugiebat sapientissimos illos Heroes et
prudentissimos Dinastas aliam esse animorum alacritatem et coniunctionem vel
potius dissensionem, cum clientes eum, qui sibi rector et Dominus praeter leges pa:
trias praeter voluntatem et expectationem obtruditur, non tam libenter quam re:
luctanter accipiunt, aliam vero cum qua semper ipsi ob gentis cognationem charum
habuerunt, et virtutis splendorem eo munere dignissimum iudicarunt, quemque
sibi toto pectore optarunt, eundem Canonicorum suffragiis electum et superiorum
indice comprobatum assequuntur. sic enim non humanis consiliis sed divino
afflatu et impulsu rem actam esse non male arbitrantur, ac ideo et dignissimis
et libentissimis animis autoritatem novi Pastoris tanquam ipsius Dei agnoscunt
imperio subijciunt, leges observant, se suaque omnia eius curae et potestati, clien
fidelissimo parenti committunt, Deum Praesulem benignum, sapientem, iustum
expetitum benedicunt, Ac demum animorum alacritate et obsequiorum promptitu:
dine, profitentur eum, qui V. Capitulo, qui Regi, qui Deo maxime placuit,
sibi quoque Episcopum gratissimum et acceptissimum accidisse, Ex quo quid
bonorum ad utilitatem tam publicam quam privatam proveniat, cuique pru
denti aestimandum relinquimus, Est certe et aliqua vis sanguinis ac origi:
nis. inde fit ut quisque sibi quos vel origine proximos maximo amore comple:
ctatur

ctatur, eos semper felices ubiq beatos esse vellit, eius quoq gloriae quae
conservando et illustrando patriam, Principatum seu externis indigenae
asserit. Et cum nihil magis tum regiones, cum domos illustret, beetq
quam cum vera religione pietas in Deum et fides observantiaq in Re-
gem, eorum amplitudinis conservationem et propagationem primam sibi
omnium rerum putat indigenae necessariam esse. E contra vero periculosi
alienae dignitatis et honoris viri, ardentius gloriae sceptrum quam amicitiae
fidem desiderant, ambitiosi peregrini, ad Saturni aut Jovis orbem liberi-
ores scandentes pluris aestimant vocem famientis Caesaris, aut quam
arridentis fortunae, quam laudem virtutis, quam Dei gloriam quam pa-
triae alienae salutem. Postremo Serenissimi illi Principes sapientissimiq
Senatorum Regni Ordines non erant nescii habuisse Ecclesiam Varmiensem iam
inde a primis fundamentis amplissimam autoritatem sanctissimamq consue-
tudinem Episcopos Praelatos Canonicos eligendi, quibus pro ipsorum temporumq
circumstantijs unanimi consensu Regiae confirmationis robur
ad perpetuam firmitatem addere voluerunt, ne postmodum aliqua hominum
temeritas praesumeret violare quod divina Christi in terris Vicarij et
summa Regum Regniq Senatorum ordinatio constituisset. Impia enim
et non minus periculosa quam luctuosa res est, si de divinis principumq
legibus hominum vana voluntas iudicare praesumat. Hae causae sunt S. R.
cur pientissimi illi Reges amplissimiq Patres et Senatores Terrarum
Prussiae vere indigenas albo Canonicorum adscriptos prae ceteris
omnibus Episcopatus Varmiensis honore decorandos iudicarunt. Quibus
explicandis non fuit nobis diutius immorandum. Cum ipse S. R. optime
norum ea noscas, et in excelsissimo illo maiorum suorum solio colloca-
tus nihil antiquius habeas quam ut non tantum Regni haeres et succes-
sor sed etiam Regiarum virtutum sis imitator. Cum igitur singulari sua S. R.
sapientiae iustitiaeq non sit obscurum quae sit Ecclesiae Varmiensis orbitas
quaeq V. Capituli sollicitudo et anxietas. Nec ignores quae habeas
a Deo Regibusq Poloniae et ornamenta dignitatis et praesidia cum
robore maiorum suorum virtute parta, ad suam autoritatem tuendam
quae si tu nunc eripias, a nemine sibi restitui, si tu conserves, a ne-
mine eripi posse censemus. Agedum ita Deus ille in cuius manu
Regum et Consiliariorum corda sunt illuminet et Spiritus sui S. afflatu
commoveat, fac sapienter ut facis, illud veritatis et dignitatis iudicium
ut dignitas et libertas Ecclesiae Varmiensis a Deo et Regibus effecta non
modo intacta et inviolata his praesertim tam dubijs tamq periculosis
temporibus conservetur, sed etiam ubi opus fuerit augeatur. Prohibe con-
stanter ne leges et libertates ad cupiditatem quorumvis detorqueantur

Sed potius cupiditates legibus dirigantur, ne panis domesticus filijs fami:
lias in posteritatis relictis detur vicinis. Ne ingratus cuculus in alieno
educti gremiis, omis cum ignominia et periculo Curruca sustentet.
Ne manus gladijs aptae et exercitae clavem Petri discipulis Christi extor:
queat. Moyses oret, pugnet Gedeon, domi Ministri Melchisedech
panem et vinum offerant, foras Abraam cum suis vernaculis, perse:
quatur inimicos, et fundat. Non est S. R. sacrum illud Collegium Var:
miae nudum a viris, pijs doctis et bene meritis, ut quidam male iudicant
Sunt domi nostrae crede S. R. sunt, qui istius honoris fastigio in alijs
non sunt indignissimi. Quod si nos agnoscere ipse Illmus et
Rmus D. Petrus Tylicki testabitur et experientia demonstrabit, ut
autem velis leges, dignitas et ipsa honestas suadet, ac nos qua debemus
observantia et submissione supplicamus rogamus et obtestamur.
F panis Sic et tibi S. R. immortalem gloriam et nostrum universorumque Pon:
tenorum pectus gaudio laetitiaque complebis, et Deus iustus, dignita:
tis libertatisque ~~Ecod~~ violatorum ultor non offendetur, sed tanto ve:
ritatis et iustitiae bono oblectatus, ac nostris votis precibusque assiduis
emollitus, te S. Rex quam diutissime et quam felicissime populo
suo praeesse concedet. Apud Ecclesiam nostram Varmien:

vtv

Literae Wormii ad
Regiam Mtem etc
Ann. 1604

28v